

hoc negotium perficiendum mihi velis praesto esse, atque omne tuum studium, operam, industriam accommodare. Pro certissimo tibi persuades, si hunc episcopatum adeptus fuero, ex eo aliquid comodi atque emolumenti in te ipsum redundaturum. De meo autem statu, deque meis infortuniis, licet grave et molestum sit scribere, facit tamen amicitiae nostrae vis et magnitudo ut aliquid recenseam casumque meum levandi doloris causa tecum communicem. Quo die romana civitas ab hispanis et lanciferis est expugnata, ego una cum aliis captus fui, atque omnibus meis bonis spoliatus et, quod est gravius, vario ac paene omni tormentorum et cruciatuumque generis dilaceratus. Tenuerunt me quidam milites hispani in quodam obscurissimo atque teterrimo carcere per XXXXIII dies, vinetum gravibus catenis et ponderosis. Inde, cum vetulae cuiusdam ope meas calamitates miseratae aufugissem, in alios hispanos incidi, qui simulatque acceperunt me esse venetum et officialem urbis Romae, magnum talionem imposuerunt, cuius partem cum iam persolvissem neque reliquum haberem aut ab amicis eandem penuriam laborantibus invenirem, decreverat illi me captivum in Hyspaniam secum atrahere. Et iam iter ingressi eramus illi equites et ego pedes, casu in quosdam milites italicos incidimus, qui ubi cognovissent illos hispanos et praeclarissimis spoliis onustos, simul congressi sunt et per duas horas atrox utrinque praelium

83* comiserunt. Tunc ego optimam aufugiendi occasionem nactus, Romam magnis itineribus contendi; quam ubi vidi adeo eversam dirutam deformatam, non solum dolui atque ingemui, sed etiam in uberimas lacrimas sum resolutus, cogitans praeclaram illam urbem atque olim rerum omnium dominam nunc ad tantam tamque insignem miseriam redactam esse, tot nobiles atque ingenuas matronas stupratas, tot honestissimas virgines violatas, tot senes iugulatos, pueros a complexu parentum evulsos, sacratissima Deorum templa profanata, nullumque locum in tam ampla civitate extitisse, qui non caede atque ruinis, vastatione atque sanguine redundarit. Vis scire quam miserabilis fuerit ista ruina et eversio urbis Romae? Vidi ego, vidi et diligenter observavi ipsos etiam hostes lugentes calamitates nostras. Non multo post tanta inopia rei frumentariae laboratum est ut nobiliores atque potentiores ferinis carnibus vescerentur, plebei autem homines herbas et vilissimas quidem herbas esitarint. Illud est scitu non indignum atque etiam ad declarandam fortunae varietatem satis accomo-

datum, visos fuisse quosdam opulentissimos episcopos et plerosque alios praeclarissimos viros panem hostiatim mendicasse; et quod tunc gravius putabatur non invenisse, hanc autem comunem caritatem tanta pestilentia subsecuta est. Sunt enim ista mala natura inter se connexa, ut quotidie trecenti et quadrigenti homines interirent, atque istud malum ita in dies magis, magisque invalescebat, ut vidisses loquentes homines mortuos in terram labi, vias mortuorum cadaveribus refertas, arripesque hoc morbo vix quattuor horas supervivere. Ego in tanta tamque communi infectione non potui me tantum custodire quin in ipsam pestilentiam inciderim. Et quamvis de mea salute iam actum existimarem, nolui tamen mihi, quantum in me fuit deesse. Non defuit mihi medicus, non defuerunt medicamenta, quibus brevi factum est, divina benignitate id praestante, ut pristinae validitudini et incolumitati sim restitutus. Et iam cogitabam ad vos reverti, et post tot procellas, tot ac tantas tempestates in carissimam patriam, tamquam in tutissimum tranquillitatis portum redire. Oh quotiens vos felices, quotiens fortunatos et ter quaterque beatos appellavi! qui ob stupendum ac pene divinum vestrum illum situm ab his atrocioribus 84 periculis tuti, summa illa quiete et dulcissimo illo ocio perfrui mini. Tunc, quando eram apud vos, vel privatam vitam agens, vel publico aliquo munere perfungens, libertatem illam cum dignitate coniunctam vix cognoscebam, et quemadmodum bona validudo gratior est his qui aliquando egro corpore fuerunt, et libertas carior his acerbissimum illum servitutis iugum tolerarunt, et portus iocundior his qui marinis tempestatibus aliquandiu iactitati fuerunt, ita ego post tot labores exhaustos, tot gravia infortunia tollerata, nunc incipio, sentire nunc demum cognoscere quam dulce sit in patria sua ad vivere, quam dulce atque suave illud securitatis tranquillitatis, libertatisque nomen. Sed quoniam est in rebus humanis vicissitudo servatque has vices conditio mortalium, ut secunda ex adversis, adversa ex secundis oriantur, spero quod istae res aliquando componentur, et Romana Urbs, quae excellentissimis atque omni genere laudis ornatissimis viris semper floruit, brevi pristinum suum decus atque splendorem retinebit. Ego tamen, si itinera essent tuta et vires longioribus malis conflictatae labores itineris ferre possent, libens ad vos redirem. Oh! felicem illum diem et signandum albo lapillo, quo una esse, loqui et nostro more commentari poterimus, amplectique vetera illa mea